

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXVI. Maria Deum facit propitium. Maria est universalis, irati Numinis
Reconciliatrix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

DISCURSUS XXVI.

Rosæ proprietates habens Virgo Maria, Rosa mystica est.

Exordium.

Rosa flos florum non immerito à Sapientibus plurimum commendatur, dum eam reginam florum, ornamentum terræ, plantarum decorem ac venustatem, veris nuntiam, purpuram horrorum, ornatum puellarum cognominant, unde recte Poëta quidam cecinit apud Delrio. in Adag. part. 2. ex Anacreonte.

*Rosa honor, decusq; florum,
Rosa cura, amorq; Veris,
Rosa flos, odorq; divum.*

Verūm major cæteris floribus præcellentia, laus & prærogativa, ex eo Rosæ attribuenda, quod ab eâ flos Virginum Maria Virgo, nomen mutuata, Rosaque vocata sit, Eccleſiæ 24. cap. *Quasi plantatio Rosæ.* utpote quæ omnes rosa qualitates eminenter in se continet, ac proinde melius de ea canit Marianus Poëta:

*Maria honor, decusq; cœli,
Maria cura, amorq; terra,
Maria flos, odorq; Christi.*

Magnum profecto rosæ enconium est, dicere, illam velim imperatricem inter flores, viridi in throno, adornato capite phyro, residere sublimem, vestitam purpurā, coronam auro, palpari ab avibus, mulceri ab aurâ, à cœlo effusa.

sissimè coli, & ancillari, à fideli & armatâ undique spinarum, ceum militum, muniri custodiâ: ast longè excellentius encoum rosæ, quod ab ipsâ nomen accipiat cœli terræque Imperatrix ac Regina, & ab ejus proprietatibus Rosa mystica, dicitur Virgo Maria. SS. Patres desuper consulamus. *Maria* SS. Patres.
Virgo Rosa Paradisi est, qua ex progenie David, per Joachim
credentibus data est. definit S. Vincentius Ferrariensis, serm. *S. Vincen-*
de S. Annâ. O Rosa! qua ex spinis, hoc est, ex Judæis orta *tius Ferra-*
es, ac divinâ fragrantia cuncta perfudiisti! exclamat S. Joan- *riensis,*
nnes Damascenus. Odore suavissimo totam Domum Domini *J. Joannes*
Damascen-
reples, o Maria! Viola humilitatis, Lilium castitatis, Rosa *nus.*
charitatis. perorat S. Bernardus, in Deprecat. ad B. V. *Con-* *S. Bernardus.*
gruè itaque hec Virgo nuncupari potest florens Rosa, nam sicut
rosa crescere solet inter spinas, ita beata Virgo in hoc mundo
crevit inter tribulationes: & quemadmodum, quanto rosa in
crescendo se plus dilatat, tanto fortior, & acutior spina effici-
tur; ita & hec electissima Rosa Maria tam constantem gerebat
animum, quanto plus etate crescebat, tanto fortiorum tribu-
lationum spinis acutius pungebatur: sicut rosa, constanter in
suo loco stare cernitur, quamvis spine circumstantes fortiores,
& acutiores effecta fuerint, ita hec benedicta Rosa Maria,
quantumcunque tribulationum spine cor ipsius stimulabat,
voluntatem tamen suam nequaquam variabant, sed ad suffe-
rendum, ac faciendum, quidquid Deo placeret, se promptissimam exhibebat: florenti ergo rosa dignissime comparatur.
dixit Angelus ad S. Brigittam, in serm. Angeli. cap. 16. Lau- *S. Brigitta;*
donuptias, laudo conjugum, sed quia mihi Virgines generant,
lego de spinis Rosam. scribit S. Hieronymus, Epist. 21. ad Eu- *S. Hiero-*
stoch. Concludit Hugo de S. Victore, serm. 34. de Instit. *nymus.*
Monast. Sicut ergo est aurora lucis preventione, sic est flos Hugo de S.
pulchritudine, favus dulcedine, viola humilitate, Rosa chari- *Victore.*
tate. Hujus Rosæ mysticæ odorem, afflante Spiritu S. dignis
Conceptibus perpendamus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio, seu De-
ductio.

Rosæ nomen, à Rore derivat Galenus Medicorum Principes, florarum ac herbarum perscrutator indefessus: Cur à rore? ros matutino cadens tempore, rosam quæ nimis florilis ardore languebat, recreare, eiisque incrementum præbere solet, ut ad solis ortum denuò fese præsentare, odore suavissimo fragrare, suaque folia ad instar purpuræ regiæ valent majestate dilatare. Tanto divini Solis incendio astabat Rosa nostra mystica, Virgo Maria, ut cum veritate canere potuisse illud sponsæ: Cant. 2. cap. *Quia amore languo:* id est, ut subtiliter explicat B. Albertus Magnus. super Missus c. Quæst. 131. *Præ amoris magnitudine omnia temporalia fascinum* Summo igitur manè, obumbrante eam virtute Altissimi, & superveniente in eam Spiritu S. Ros ille salutaris super cecidit, pro quo tot annis universus suspiravit orbis: *Rorat cœleste super, & nubes pluant Justum, aperiatur terra, ergo minet Salvatorem.* Isaïæ 45. cap. Rore hoc gratia cœlestis plena Virgo benedicta, ab incendio Solis divini non modo est recreata, sed in super tam immensum dedit illi Deus incrementum, ut suavissimus Odor Christi, quem genuit, gaudium annuntiaverit universo mundo, & in Matrem Dei evita, per tot orbis terræ partes, folia protectionis sue Reginæ mundi, ac cœlorum Imperatrix gratiosa dilataverit, quod eum præsidio salutem ac vitam obtinuerunt sempiternam, dignam quam beatam dicant omnes generationes. Unde devotus Mariæ cliens Diez. Conc. 3. de Nat. Virg. ita scribit: *Mox excidit Ros, quo Rosa hac mystica, quæ prænime aeterni Salvatoris languebat, rore gratia, in pulchritudine suâ conservaretur.* Hoc rore irrorari desideravit S. Petrus Damianus. serm. 1. de Nat. B. V. *Virgo Dei Genitrix benedicta & superbenedicta: nos turam nostram habes, non aliam, & justum est, ut de tantæ pietatis diffusus infundamur.* Rosa mystica, Virgo Maria!

CONCEPTUS II.

Situm rosarum esse inter spinas, annua docet experientia, quâ non facile possumus decerpere rosam, quin ab acutissimis ejusdem spinis pungamur; hinc monet S. Basilius magnus lib. 3. in Hexam. cap. 11. *Cui placet habere rosam, idem non dispicunt spinea.* Ipsa tamen rosa, media inter spinas, à tot aculeis penitus illæsa manet. Unde quæso venit, quod rosa tot spinis circumsepta appareat? Respondet S. Ambrosius, lib. 3. in Hexam. cap. 11. Ante lapsum Adami, rosam in Paradiso sine spinis creatam fuisse: *Surrexerat ante floribus immixta, teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine ulla fraude vernabat, postea spina sepst.* Post peccatum Adami, rosa septa fuit spinis, propter illam à Deo fulminatam terræ maledictionem: Gen. 5. cap. *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Hesichius Hierosolymitanus, lib. 1. cap. 8. in Gen. per spinas intelligit afflictiones, tribulationes, persecutions, & miseras, quibus ob peccatum Protoparentum circumdatus est homo, qui veluti rosa sine spinis persecutionum & dolorum, infirmatum & mortis fuisse, si Adam non peccasset. An non Rosa inter spinas fuit Maria inter persecutions Herodis? Rosa inter spinas Maria in Ægypto inter idololatras? Rosa inter spinas, Maria inter Martyrium, & tormenta Filii? Rosa inter spinas, Maria inter injurias & opprobria Judæorum? Rosa inter spinas, Maria inter proprios dolores? Rosa inter spinas peccatorum, Maria intacta & illæsa, ut proinde canat sponsus. *Sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.* quæ verba Cant. 2. S. Gregorius Nyssenuscum aliis legit. *Sicut rosa inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.* Confirmat S. Bernardus, serm. de B. V. *Eva spina fuit, Maria Rosa extitit: Eva spina vulnerando, Maria omnium affectus mulcendo: Eva infigens omnibus mortem, Maria Rosa reddens salutiferam omnibus sortem, Rosa mystica salutis.*

CON-

CONCEPTUS III.

Virginitatis symbolum rosa est , cuius color sanguine & laetè mixtus, virginalem pudicitiam ac verecundiam adorū repræsentat, ut à Columella lib. 10. de Cultu hort. numerata fuerit *Rosa plena pudoris*. An non plena pudoris sola nostra mystica Virgo Maria fuit, quæ similem sibi in virginitate non habuit, cuius pudicitia nec conceptu violari, cuius plus quam angelica verecundia , nec partu potuit auferri. Mensem S. Thomæ de Villâ Novâ defuper audiamus. Ceteri virginibus sat est, incorrupta esse corpore, intactas haberi carne: quanam est enim, aut fuit unquam alta Virgo, que cogitationis libidinem non senserit, carnis molestias non pertulerit. Sat est, si dicit: Sufficit, si non succubuit: Maria sola et virgo, Virgo carne, Virgo & mente, Virgo affectu, Virginitate, Virgin cogitatu, Virgin affectu, Virgin sermone, Virgin re, Virgin spiritu, Virgin sensu. Et S. Petrus Chrysologusdem. 122. In tuo Conceptu, in tuo partu, crevit pudor, & auctor castitas, integritas roborata est, & solidata Virginitas. Rosa mystica plena pudoris.

CONCEPTUS VI.

Filia amoris à Poëtis rosa appellatur, eo quod amori instar roseo aureoque velamine, obvelatos gerat oculos, vernantes ejus frondes illi inserviant pro aliis, rami pro Arca, spinæ verò illius, sint veluti sagittæ, quibus sui amoris, spectatoribus excitat desiderium, ideoque optimè dixit D. Basilius. Epist. 149. ad Liba. eum in finem, datas illi fulfignas à matre Naturâ: quasi quedam amatoria illectamenta, ad majus desiderium colligentes provocet. An non filia amoris quin & Mater pulchræ dilectionis Maria, Virgo Maria fuit, cuius in Deum amor, omnium creaturarum amores cōsistit, cuius pulchritudo Deum ipsum, ac cœlestis in suianum

attraxit. Unde scribit S. Anselmus, de Excellent. B. V. cap. 4. Superat omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedenes, magnitudo amoris istius Virginis in filium suum, & dulcedenitatem immensitas, quæ exultabat, & liquefiebat anima ejus, in eundem Dominum Deum suum. Et S. Bernardinus Senensis, serm. de Exaltat. B. V. in gloriâ. art. 2. cap. 1. Beata Virgo Ecclesiast. 24. cap. merito de se ait: Ego Mater pulchra dilectionis: quasi diceret: quia sum Mater Dei, habeo dilectionem, tantum pulchritudine eminentem ab omni alia, quantum eminet sol à luna. Nec non S. Bernardus, serm. 2. de B. V. Virgo Regia, gemmis ornata virtutum, geminoq; mentis & corporis candore præfulgida, & decore, specie suâ & pulchritudine, in calcib; cognita, calorum civium, in se provocavit affectum, & aspectum, ita ut Regis animum ad se insinaret, cælestem Nuntium ad se de supernis educeret. O Rosa mystica, Mater pulchra dilectionis!

CONCEPTUS V.

Colorem rosarum triplicem assignat romanus rerum naturalium indagator Plinius, lib. 29. cap. 4. aliae sunt albæ, seu candidæ, aliæ cerussatæ sive coccineæ, aliæ rubæ; effectus, seu virtus coloris rosei est, turbatos irâ serenare animos, vindices emollire, & ad mansuetudinem commovere, hinc teste Pierio Valeriano lib. 55. Hieroglyph. Ægyptii gratiam aliquam à Diis petituri, coronare solebant se rosis, ut earum aspectu benignos sibi Deos redderent. Veritatem hanc in nobilissimâ quâdam sacræ Scripturæ historiâ videre licet: Esther cap. 15. determinaverat rex Assuerus, miserabilem populum Hebræum jugulare, ac penitus deperdere, & ne quispiam ab hac crudelissimâ eum dimoveret sententiâ, serio inhibuit, ne ullus tam audax esset, qui regiam subintrare aulam præsumeret; auditio hoc crudeli & lugubri nuntio, nullius non cor contristatum fuit, ac præ mœrore & tristitia concidit, miseri universim timebant, & trepidabant Hebræi:

bb

Sed

Sed ecce reginæ Either resolutum animum, comparere mirum decrevit in præsentia regis, ut ejus animum adversus Hebream gentem iratum placaret; quapropter minaciam suam exornat pulchritudine, & decore, regis, pomposique se induit vestimentis, pretiosissimis etiam se decorat gemmis, & margaritis, adeò, ut vultus ejus quoddam effet admirationis theatrum: Vix ingressa ipiusmet regaliam, vidit illum magnifico & superbo insidentem chroso, sed vultum ejus tam ferum, ferocem, ac crudelē, ut post terribilem quendam leonem, quam hominem repræsentret, aspectus namque ejus horrificus, nonnisi indignationem & furorem spirabat, ac minitantem omnibus ostendebat frontem, quotquot illum intuebantur: In faciem & aspectum adeò terribilem & ferocem, ut oculos suos reginae conjecerat, cecidit in terram semimortua, ast compatiens rex motus, benignè ac humaniter illam suscepit, continebat, ac solatus est. Quid tam citò iratum regis Alienum animum placavit? Quid eum rugientem quasi leonem, agnum mansuetissimum commutavit? Nil aliud, quam regalis in genis Esther color: nam pallor genarum ejus mortuus fuit in roseum & rubicundum colorem: *Ipsa autem regis colore vultum perfusa.* inquit sacer textus v. 8. quasi diceret Quamprimum Rex in sereno reginæ vultu, colorem roseum contemplatus fuit, subito mansuetus, mitis & benignus evasit, gratiam populo Hebræo, totumque id concessit & indulxit, quod unquam ab Assuero Esther sperare poterat. Ecce quam rosa, vel à colore, singulari Encomio, *Mater gratiae* dici possit. Rosa nostra mystica Virgo Maria, per Esther figurata, candida in conceptione, coccinea in incarnatione, rubea in Passione; candida ob virginitatem, coccinea ob fœcunditatem, rubea ob martyrium, rosas modestias ac verecundias, cœlesti Assuero per dilecto Filio suo ad Dominum, in vultu resplendens præsentat, & offert, auctor divinam indignationem in nos ob peccata nostre contumtam, non tantum placat pacatque, sed etiam innun-

gratias atque favores nobis exorat. Seraphicè pro more S. Bonaventuræ. in Speculo lect. 5. *Esther nostra beata Maria, tantam gratiam coram Rege aeterno impetravit, quod per hanc, non solum ipsa ad coronam pervenit, sed etiam generi humano mortis addicte subvenit.* Dignè ergo S. Bernardus Epist. 174. *Prædica reverendam Angelum, desideratam Gentibus, Patriarchis Prophetisq; progenitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus: magnifica gratia inventricem, Mediæricem salutis, & Restauratricem seculorum, Rosam mysticam, Matrem gratiæ.*

CONCEPTUS VI.

Virginem Deiparam sic loquentem Angelis, introducit S. Antonius. Part. 4. tit. 15. cap. 44. §. 9. *Decet me inglorificatione esse juxta Filium meum, per intercessionem continuam pro humano genere, ut cum Deus peccati hominum commotus, diluvio flagellorum minatus fuerit terram subvertere, ego ut arcus appaream in conspectu ejus, indeq; recordatus fæderis sui, reproprietetur eisdem, ne dissipet mundum.* Cur arcui cœlesti se comparat Virgo beata? De arcu cœlesti observat Princeps Philosophorum Aristoteles, in suis Problematis Num. 3. quod suavissimi & quidem rosei odoris vestigium post se relinquat, arcui ergo Maria similis esse voluit, ut rosem grafiarum odorem de eâ certò certius autumemus, atque ideo canit: *Dum es rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.* Cant. 1. cap. quæ verba alii ex lingua Arabum, apud quos Rosa dicitur Nardus, transferunt, & dicunt: *Rosa mea dedit odorem suavitatis.* O Rosa mystica suavitatis cœlestis!

Christi bonus odor sumus. gloriatur de se loquens S. Paulus Epilogus. Apostolus 2. ad Corinth. 2. v. 15. Meliori jure de se hoc dicit Rosa mystica, Virgo Maria, quæ odorem suum suavissimum spiravit, quando in Bethlehem Christum genuit, in cuius odorem, de cœlo Angeli, ab Oriente Magi, ex agro p-
bb 2 stores

stores cucurrerunt, quibus nosmetipos humiliter locantes,
cum devotissimo Bloso salutemus: Ave Maria Virgo ma-
tissima, Virgo sole serenior, astris lucidior, Virgo melle dulcis,
& balsamo suavior, Virgo rosis rubicundior, & liliis candidior,
ultra omnem honestatem gratiofa, de culpa O Maria, placan-
tum prece piâ, ad eterna gaudia. Jungamus quoque pulch-
rimam salutationem, quam ipsa Virgo Maria S. Gertrudem
edocuit: Ave candidum Lilium fulgida, sempêr, tranquille
Trinitatis, Rosaq[ue] perfulgida cœlice amoenitatis, de quâ nati,
& de cuius lacte pasci, Rex cœlorum voluit, divini infusa-
nibus animas nostras pasce. Amen.

*Cœlum dat rorem rosæ; quò spiret odorem,
Tristia latificet, languida vivifiet.
En cœli rorem, Virgo, Genitrix honorem,
Mystica Rosa crea gaudia, prole bea.*

